



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 120. Calvinistarum querelæ contra Franciæ Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI
A.C. 1568.

Postea a Fœderatis Calvinistis Regi omnes urbes in hoc bello a tempore quo Meldis eundem aggredi tentabant, captæ restituebantur, eæque erant Augusta Sueffionum, Antissiodorum, Aurelianum, Blæfæ, & charitæum oppidum: verum Rupellenses, Sacro-Cæfarei, Montaldenses, Millaldenses, Cadurcenses, Albigenfes, Castro-Albigenfes, & Viceliacenses in Burgundia Regi obtemperare renuebant, ex quarum pertinacia novum suscitabatur bellum, quod sexto post anno in apertas erupit flammæ: interea vero Princeps Condæus, atque Archithalassus dimissis copiis suis, cum Regi sese committere non auderent, secesserunt, & quidem maris Præfectus ad ditionem suam Castellionum ad Ligerim, Condæus vero Nucetum in Antissiodorensi Provincia situm abiit, ubi ambo cum factionis suæ sociis frequens habebant colloquium, spe concepta, se brevi rursus ad arma convolatueros, quamprimum opportuna sese offerrat occasio.

§. CXX.

Calvinistarum querelæ contra Franciæ Regem.

Thu. l. 44.
in fine.

Enimvero Calvinistæ paulopost querendi obtentus undique quærebant; postquam enim Rex urbes sibi redditas præ-

præfidiis munierat, mox Protestan-
 tes hæc obtendebant. I. Ideo civi-
 tates milite præfidiario firmantur, ut
 Rex nos armis depositis eo facilius
 opprimere possit. II. Nobis haud in-
 cognitum est, quod Rex ad Triden-
 tinam Synodum recipiendam, nec-
 non per Gallias promulgandam; a sum-
 mo Pontifice fuerit sollicitatus, quam-
 vis hoc Concilium præter solam Re-
 ligionem Catholico-Romanam nullius
 alterius sectæ profitendæ libertatem
 concedat. III. Idem Pontifex Regem
 ad fœdus contra nos ineundum ur-
 get. IV. Ipsemet Rex ad ejusmodi
 armorum societatem satis propensum se
 ostendit, animatus fœdere secreto Ba-
 jonæ cum Hispaniæ Regis Oratoribus
 inito, vi cujus etiam Galliarum Regi
 in nupero Bello suppetiæ fuerunt latae.
 V. Parisiensis Curia consentiente Rege,
 ejusque Senatu ideo edicti confirmatio-
 nem retardat, ut in reformatores tãn-
 quam rebelles judicii acta instruendi
 spatium nanciscatur, abs dubio eo fi-
 ne, ut illos eadem severitate castigare
 posset, qua utebatur in Rapinum
 unum ex Nobilibus Condæi Principis
 Domesticum, qui Tolosani Senatus jus-
 su capite plexus est, quamvis ab ipso
 Rege ad urgendum nuperum edictum
 Tolosam ablegatus fuisset. VI. Pluri-
 bus

Sæcul. XVI.
 A.C. 1568.

*Dupleix hist
 de France
 tom. 3. p. 734.*

Sæcul. XVI
A.C. 1568.

bus in locis cœtus agendi libertas præpeditur. VII. Scriptum fuit ad Sarranum Alvernæ Governatorem, quod ea mens Regis sit, ut arces, prædia, ac conditiones Reginæ Matris suæ, necnon Fratrum suorum, ac Montpenserii Ducis ab hac conditione exclusæ censeantur. VIII. Denique a die promulgata pacis quamplurimi Protestantes Antiochidori, Aureliæ, Biturigibus, ac Bleis trucidati fuere, quin tamen in homicidas ultio fuisset sumpta.

§. CXXI.

Regis querelæ adversus Calvinistas.

Dupleix p.
735.

Ex adverso Galliarum Rex longe validiores, magisque æquas querendas causas adversus horum rebellium petulantiam habebat, ac præcipue eisdem hæc exprobrabat. I. Rupellam, Montalbanum, & Sancerras non modo restituere recusant, sed etiam munimentis firmant, ut rebellionis suæ propugnacula erigentes sese supremæ Regis auctoritati opponere valeant. II. Rupellenses Jarnacium Comitem, quamvis Religione Calvinistam, qui ibidem dudum urbis Præfectum agebat, tanquam Governatorem admittere recusarunt, eademque audacia Vetus-Villam Marecallum rejecerunt, licet ille cum plena agendi potestate eo decretus fuisset.